
504
B174

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
504 B 174




Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
504 B 174

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
504 B 174



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
504 B 174



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
504 B 174



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
504 B 174

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
504 B 174

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
504 B 174

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
504 B 174

4B174

NESCIMVS QVID VESPER
SERVS VEHAT,

SATYRA MENIPPÆA

VINCENTII LIBERII
HOLLANDI.

MDCXIX.

Autor est Nicolaus Crassus venetus
v. Placcii Pseudon. 1575. pag. 410.
Vincentius dictus quia Nicolaus. Liberius,
quia ex libera republ. veneta. Hollandus,
qui illi hebetes et crasso ingenio.

est manus
P. Burmanni.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
504 B 174

Liberius Vincentius Hollandus
Franc. de Ingenuis S. D.

TVAS accepi litteras, & vnà cum eis epiſtolam, quam Romanus ille ſycophanta meo nomine, vulgauit. Riſi primum hominis temeritatem & amentiam, qui à me neque re neque verbo læſus, immo ne de facie quidem, aut de nomine mihi notus, auſus tamen fuerit, ineptiſſimas, ne quid grauius dicam, ſuas nugas mihi tribuere. Deinde verò cum falſitates, mendacia, & maledicta legerim, quæ à me ſcripta confinxit in Rempubl. Venetam, tum demum, continere non potui iracundiam meam, quin & LIBERII nomen ab impuriſſimi Nebulonis ſycophantijs vindicarem, & aliquid etiam ei Αὐτῷ τῷ μέτρῳ, καὶ λώϊον *reponerem. Eum itaque Satyrâ luſi iocosè ſatis, vt videbis, ſed dentatâ chartâ, & quæ ferè cuncta in tuâ reſponſione adeo facundè & eleganter expreſſa, per riſum & iocum obijcere videatur. Tu ijs omnibus eam oſtende, qui epiſtolam illam Pſeudoliberij viderunt. Quod vnum te etiam atque etiam rogatum volo. Vale. Amſtelodami IV. Id Septembr. MDCXIX.*

.i. Eâdem menſurâ, & melius.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
504 B 174

NESCIMVS QVID VESPER SERVS VEHAT.

LAnguebat in vmbrarum finibus heſterna dies, & occidens iam morituro ſoli tenebrarum ſepulchrum feraleſque ſtellarum faces parabat. In Patriam ego reuertebar itinere feſſus, nec longè aberam, cum repente cœlum nubibus obuolutum tonitruiſque ingentibus minax, ignibus quidem rariter micare, ſed aquam largiſſimè effundere cœpit. Vt cœlites etiam eorum, quæ nihili conſtant, plus æquo liberaliores facillimè noſceres. Iniecta igitur mora, patrijque laris deſiderio fruſtratus, pluuiâ, cœnoque, ac tenebroſâ caligine oblitus, nec vbi eſſem, nec quo tenderem ſatis compertum habebam. Hoſpitium tamen caſus obtulit, quo ſe à cæcitatis culpâ apud me optimè vindicaret: eo namque gratius mihi, optatiuſq; ne ipſe quidem animo fingere poteram. Senex eſt Aretius, qui Orbis vitia, eorumque irritamenta fugiens, in anguſtos lares, paruumque agrum, quem proprijs manibus exoſſatum impensè colebat, quaſi in portum aliquem ſe receperat, ibique non modò literarum ſtudijs operam dare, ſed etiam ſub ingenti lauro literatorum manes ſacris carminibus in hortum ſuum cogere dicebatur, vt librorum cenſuram, &

Concilium ſummis hominum de rebus haberent.

Auebam ego iam multos annos virum videre, atque adeo, ſi licuiſſet, quæ de ſcriptorum vmbris admiranda ferebantur, cognoſcere. Ad hunc ergo inſciens ignaruſque locorum diuerti, ſemelq; & iterum foribus pulſatis, hoſpitium quæſiui. En mihi vox, quæ non oſtium modo, ſed animum blandiſſimè aperuit: *Pauperem*, ait, *quiſquis es, ſed facilem minimeq́ moroſum hoſpitem habebis.* Noctilucam, his dictis, ad fo-

cum iam ſopitum applicat, inflat vt anima reuiuiſcat, cito-
que lumen & ignem ipſum accendit. Erat ſenex ipſe, oſtia-
rius idem & herus, prolixâ barbâ, multáque canitie venera-
bilis, quem eodem anno cum Neſtore natum diceres. Is me
fruſtra renitentem, diuque recuſantem, madidis expoliat
veſtibus, centoneque ſuo indutum, atque breuibus focis re-
„ creatum, ad cœnam vocat. *Vides*, inquit, *tripodem, ſed natum*
„ *domi, noſtrâq́ ex arbore menſam, atque ſalis puriſſimi concham?*
„ *erit quidem horum communio noui inter nos hoſpitij futuræq́*
„ *amicitiæ non vulgare teſtimonium: Faceſſant artes iniuſtæ, mu-*
„ *tuaque facinora, quibus hodie amicitia, quam vocant nomine,*
„ *ſed reapſe ſcelus ingens & impietas, inter homines coaleſcit*. La-
ctucam deinde in aceto leuiter tinxit, oluſculiſq;, quę ex hor-
tulo collegerat, rugoſum piper manu parcâ irrorauit, lacri-
„ moſumque cepe cum elogio poſtremum appoſuit: *O tuni-*
„ *catum*, inquit, *Ægypti numen, quaſique cœlum aliud multis*
„ *orbium inuolucris coagmentatum, tu bellatorum vires in caſtris*
„ *dentiumque pruriginem in menſis acuere ſoles: experire, Hoſpes,*
„ *ſi lubet, neque Bacchum expecta, quem iampridem eliminatum*
„ *exilio mulctaui. fons mihi proximus ſitim leuat, dumq́ bibo*

Glut, Glut murmurat vnda ſonans

Aſſedimus igitur, & ſimplices atque ruſticas epulas diuino
ſapientiſſimi viri ſermone, tamquam acriori ſale, immò ve-
riùs ambroſia nectareque conditas, hilari fronte, animoque
ſupra quàm dici poſſit lubenti ac ſereno, guſtabam. cum ille,
„ *quo tendis, Hoſpes?* Patriam, ego, Amſtelodamum. *Patri-*
„ *am*, ait, *cito videbis*, *neque enim longè aberraſti; quod non fuit*
„ *hodiè, cras erit, ſic vita truditur. Ego quoq́ ad Patriam, ſed com-*
„ *munem illam, & quæ nunquam, niſi clauſis æternum oculis, viſi-*
„ *tur. Iam annus me vndecenteſimus admonet, auremque vellit,*
„ *ut ſarcinulas colligam: delitiarum itaque impedimenta iampri-*
„ *dem abieci: tuque paupertatem noſtram vides, quæ ſemper ta-*
„ *men obtinuit primum diuitiarum modum. Quod neceſſe fuit,*

non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
504 B 174

non defuit. Sic forſan orbe nouo, cœloque recenti vixere homi- "
nes illi "

Qui, compoſiti luto, nullos habuere parentes.

Lætus itaq́;, meiq́; ſecurus proficiſcar è vita, propediemq́; Dijs bene "
iuuantibus, Elyſios campos videbo, teq́; nouus ibi hoſpes poſt lon- "
gos & felices annos lætus excipiam. Adripui ego ſtatim opta- "
tam occaſionem, &, Familiares, inquam, tibi Elyſij manes, hoſpitijq; iure deuincti, ideoque lætus in procinctu verſaris.
An credis, ait ille, *ſubridens, aniles fabulas, & quæ blaterare igna-* "
ui homines, temereque in vulgus effutire ſolent? Pax mihi eſt "
cum mortuis, neque, ſi poſſem, Stygias vmbras ab illarum ſede in "
hanc lucem inuitas traherem. Sed crebræ mihi, continuæque de "
ſacris illis manibus cogitationes fecerunt, ut non rarò per ſomni- "
um cum illis congrederer. Neque id ſanè mirum. Nam quæ in vi- "
tâ vſurpamus & cogitamus, quæq́; agimus vigilantes, & agita- "
mus, ea ſolent nobis in ſomno plurimùm accidere. Inde tamen "
voces natæ, quæ ſparſæ in vulgus, ad aures etiam tuas, vt audio, "
peruenere. Sed lucernam vides, quæ iam humore defecta, tenue, "
& extremum lumen ſpargens, ad ſomnum inuitat, monetque vt "
itineris laſſitudinem quiete reficias? Eamus igitur. Cubicu- "
lum ingredimur, in quo lectum, haud malè paratum oſtendit, meque ſaluere iuſſum reliquit, & abijt. Clauſis vix oculis, admiranda, atque incredibilia, neſcio per cogitationem, an per ſomnium videre cœpi. Certè, ſi ſomnium erat, hyemnale diceres, quando ſunt longiſſimæ noctes, aut etiam, vt magnus ille Scytaloſagittipelliger, trinoctiale: non tamen è portâ eburneâ aduolarat, ſed

Corneâ, quâ veris facilis datur exitus vmbris.

Quo ſomniando peruenerim, quæque viderim, & audiuerim, ſtatutum eſt memoriæ mandare, neque enim debuerat tam horribile ſecretum ſilentio perire. Ego verò plenus rimarum ſum: quicquid per oculos, & aures admittitur, per linguam ſtatim, aut per calamum effluit. Quis neſcit Amy-

 clas

clas poſt tam egregia facinora mori potiùs quàm loqui volentes, fluentem cæteros facilemque ſermonem tam obſtinato ſilentio docuiſſe? Humanum eſt verba facere, non dare: nunc verò è re quoque publicâ ſcriptorum augere numerum, qui ſine controuerſiâ facundi, tam feraci prouentu hoc ſæculo aduenere, vt nihil frequentius vſurpatumque magis inuenias, quam magno conatu magnas nugas agere. Quid rides, aut ringis? ſtultam clementiam duco *periturœ parcere cartæ*, ſatiſque auſpicatò liber his temporibus editur, qui citò proſtet *capsâ porrectus apertâ*, manuque teratur ab ijs, qui vendunt ſcombros, &

Thus, & odores,

E piper, & quicquid chartis amicitur ineptis.

Hoc fine ſcribere lubuit, quodque vis aut ius non prohibet facere, ſemper licuit homini libero, ſemperque licebit; Ego verò huiuſmodi memet eſſe certò ſcio. Quis me vnquam cepit aut ſub iugum miſit?

Et præbere caput dominâ venale ſub haſtâ

docuit? Quis me circumegit, & nomen commutare iuſſit? En adhuc LIBERIVS vocor, iureque naturæ non Quiritium liber, mei Iuris adſum, mentemq; manuſq; quas manicis pedicisque irretitas nunquam geſſi, liberè tracto. Quis me vt abeam in alia omnia coacturus eſt? Scio ego iam Coactores è noſtro Belgio abiiſſe, immo verius obijſſe. Nihil ad curesuis gratiam aut metum hodie dictu rus ſum. Adeſte quotquot libertati fauetis ex animo. Valeant, qui aliter ſentiunt.

Odi profanum vulgus, & arceo.

Non ego illos m oror. Vos tantum audite, atque

Credite me vobis folium narrare Sibyllæ

Altiùs dormire cœperam, cum Aretius iterum, ſed auguſtiore
„ vultu: *Heus tu*, inquit, *ſi Elyſios campos uidere geſtis te mihi da*
„ *comitem. Inſtat hora iamque in altiſono cœli clypeo temo ſuperat*
„ *ſtellas ſublimis, noctiſque meridies adeſt; quem Poeta neſcio quis,*
„ *ſic amatoriè, nec forſan ineleganter, deſcripſit,*

En me-

Meridiationis deſcriptio

En medium cœli ſpatium iam cornibus almis
Cynthia contractis, mox productura, peregit,
Innumerabilium tacitis comitata cateruis
Stellarum latè diffuſis vndique circum.
Pars ſolidos radios, trepidos pars altera fundunt.
Pars fuſco rutilant, claro pars altera cœlo,
Alta quibus longè Diuorum tecta remident.
    Cuncta ſilent grato ſomni conſperſa veterno:
Non auræ ſpirant, folium nec palpitat vllum,
Nec reſonant auibus ſyluæ, ni forte nefandos
Teſtetur Philomela dolos, ſed flumina ſummis
Prona ſtrepunt cliuis, vicini & littoris vnda
Curua gemit, faciles ſuadenti murmure ſomnos.
Interea timidos inſomnis inire ſuſurros
Gaudet amans, mutis confundere & oſcula linguis.
Tum manibus teretes mammas, auidoque pererrans
Ore leues, condit memores ſub pectore morſus,
Hæc cæcis credens vmbris, Lunæque ſilenti.

His dictis, præit: ſequor ego, illicoque Inferorum oſtium tenemus. Nec quiſquam vlllo vnquam tempore tam citò, ſineque viatico tantum itineris confecit, vt ne Mulciber quidem in Lemnum, aut Phaëthon in Padum adeo feſtinanter properaſſe viderentur. Locum verò ſic ille, quem Diuus diuum credidit, priſci nitoris & elegantiæ ARBITER, poeticè, graphicéque deſcripſit. Iter ad Inferos

Eſt locus exciſo penitus demerſus hiatu,
Parthenopen inter magnaque Dicarchidos arua,
Corytâ perfuſus aquâ; Nam ſpiritus extra
Qui furit effuſus funeſto ſpargitur æſtu.
Non hæc Autumno tellus viret, aut alit herbas
Ceſpite lætus ager: non verno perſona cantu
Mollia diſcordi ſtrepitu virgulta loquuntur,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
504 B 174

Sed chaos, & nigro ſquallentia pumice ſaxa,
Gaudent ferali circum tumulata cupreſſu.

Ingredimur antrum, ſed ſine oſſâ vllâ, & abſque aureâ virga. Facilis deſcenſus erat, procliuiſque, & prona via, quâque vel clauſis oculis facilè cuncti meare poſſint. Lux tamen defecerat, & grauis vbique vmbra, ſulphureâ caligine mixta, oriebatur, gemitus audiebantur. Sed nihil in ſolo tam vaſto, præter innumerabilia Epicuri corpuſcula Platonicaſque aliquot Ideas atque Medicea Galilei ſydera, occurrebat. Magna tantum mirabar Herculis veſtigia in cæcâ illâ nocte ſtellarum inſtar micantia, affixaſque ingenti ſaxo Theſei nates, quæ non minus inferni Iouis iram, quàm Clauigeri nepotis virtutem oſtentabant, dum Critico, cætera magno, Virgiliana magniloquentiâ in caſſum clamare videbantur,

Diſcite Iuſtitiam moniti, & non temnere Diuos.

Cuncta ipſe luſtrabam oculis, non hercle vt morbos, curas, & bellum, cæteraq; eiuſdem ordinis, in veſtibulo viderem. Sciebam etenim hæc omnia in terris modò viuere, & vigere, immo tyrannicè planè regnare : ſed vt ferum illum immanemque trifaucem cernere poſſem, cuius ingenti latratu vmbræ Stygiæ abſterreri dicuntur. Cumq; impetrare à memetipſo non poſſem, vt cupiditati imperarem, Aretium ſubmiſsâ voce interrogaui. Qui, *ignoras*, inquit, *Cerberum conduci, vt aconita vomat, quibus ſycophantarum libri illiniri poſſint? Neapoli modò tribus offis operam locauit, ab Hiſpano & Romano neſcio quibus conductus.*

Is quæſtus nunc eſt multò vberrimus.

Non ne, inquam ego, Cerberus Deus eſt? An Dei quoque pretio, ac donis emuntur? *Quidni*, ait ille ſubridens, *Vrbem ſcis olim fuiſſe magnam præſentibuſque numinibus adeo refertam, vt hominem difficilius in eâ, quàm Diuum inuenire potuiſſes, in quâ oraculum fuit illud ex tripode*

Placatur donis Iupiter ipſe datis.

Quid

Quid enim? ſi Rogo, & Aquila, cæteriſque ſolemnibus quilibet “
Nero nullo negotio, ſed multis ſumptibus in Diuos referebatur, “
ambigeres tu an diuinitate pretio paratâ pretium quereretur? “
Hęc ego auribus excipiebam inuitis. Videbam enim quo tē-
derent. Reſponſumq; peracre paraueram, cum ad læuam ille
flexit iter, cymbamque cum decrepito quodam, ſed infulato
nauclero, haud longè monſtrauit, quem ego Charontem ra-
tus, vt propiùs inſpicerem, curſu penè concitato, eo tendere
cœperam, ſed inhibuit curſum, diuerticulumque oſtendens
obſcuriſſimum, inuium ſaxis, cœnoq; refertum, *Hac*, inquit, “
nobis eundum: Quem vides edentulum ſenem, maximæ in ter- “
ris, clariſſimæque nauis clauum tenuit, cumque omnem moueret “
lapidem, vt nummos congereret, præterea nihil; Hic etiam apud “
inferos Charonti vicariam operam præbet, exigitque ab Vmbris “
portoria. Iam prata multo virore perfuſa ingrediebamur, “
in quibus ego mirabar, *& proceritatem arborum, & directos in*
quincuncem ordines, & humum ſubactam, & puram, & innu-
meras florum areolas ex quibus æterni ſpirant odores; cum do-
mus occurrit nobis

---Sublimibus alta columnis,
Clara micante auro flammaſque imitante Pyropo:
Cuius ebur nitidum faſtigia ſumma tegebat,
Argenti bifores radiabant limine valuæ;
Materiam ſuperabat opus.

Ad eam cum peruenimus, magnos viros & doctos quot-
quot vnquam ab hominum memoriâ fuere, miro interſe or-
dine diſcretos ſedenteſque inſpicimus. Media ſedes erat
ornata eminenſque: in quâ ſeuero minacique vultu Rhada-
mantus ſedebat; graues illos & irarum plenos oculos cir-
cumquaque voluens. Stabant hinc inde holoſerico induti
Conſules duo; aſtabant namque validi lictores XXIV. cum
faſcibus, atque ſecuribus. *Magna res*, inquit Aretius, *agi-* “
tur, cum Rhadamantus adeſt, nunquamque memini frequentio- “

„ *res Patres conueniſſe. Intuere tu, qui nunquam aliâs vidiſti, Iu-*
„ *riſconſultos ad læuam manum inter quos Baldus Conſul, hinc*
„ *Philoſophos: ad dextram, verò ſedentes illos qui humaniores, vt*
„ *vocant, literas profitentur. è quorum numero conſul alter Sigo-*
nius. Medicos verò cum non oſtenderet, neque ego vide-
rem, quæſiui cupidus, vbinam locorum eſſent. Tunc ille, *Non*
„ *inter literatos manes, ſed cum Theologis inter eos recipi* dixit,
„ *qui ſummis inferna loca beneficiis afficere ſolent. Licet enim in-*
„ *ſcientes ignarique, innumerabiles tamen mortales in Auernum*
„ *præcoci morte quotidie iaciunt. Nos autem*, inquit, *hic in ſub-*
„ *ſelliis hiſce imis, locum occupabimus.* Non ego inquam, non
hercle. Quid enim mihi ſemipagano in literariis caſtris?
Inſtabat ille. ego iterum, Ne vim facias quæſo; ſine ſine, di-
ſcedam potiùs. Cum qui proximus erat, vir graui ſupercilio
„ nimiſque, vt videbatur, iracundus, *ſede*, inquit, *& ſile; Non hic*
inania vendit Hiſpania verba. Sedi ego pallens, circumque
intuens Sigonium, qui ſe erexerat, oratorumque in modum
manus compoſuerat, perſpexi:

Conticuere omnes, intentique ora tenebant.

„ Cum ille, *Librorum*, inquit, *hac nocte cenſuram agimus, qui re-*
„ *cens in lucem editi tenebras omnibus ingenuis artibus offude-*
„ *runt. En vobis ingẽtem librorum aceruum. Nihil tamen habetis*
„ *præter nugas, plumis & pappis volantibus leuiores. Quid igitur*
„ *ad vos affero? ſicut in amplâ domo, & diuite, non modò aurum,*
„ *argentum, veſtes, & tapetes, quæ vbique exponere aut etiam ſe-*
„ *ponere oporteat, inſpici debent, ſed etiam araneorum, vt inquit*
„ *ille, textura improba, atque adeo quiſquiliæ, quæ ſint tollendæ*
„ *atque euerrendæ, ne quid ſit in lauto ſplendidoque apparatu quod*
„ *oculos offendat: ita in re literariâ, non ſolum doctos, eruditoſque*
„ *libros habere oportet, quaſique theſaurum cuſtodire, aut oſten-*
„ *tare: ſed etiam quas videtis librorum quiſquilias, ſordes, &*
„ *purgamenta ſcriptorum, in Stygias flammas proÿcere.* Lætus
ego mihi plus nimio placebam, qui digitorum pruriginem
ſemper

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
504 B 174

ſemper continueram, ſicutque aliorum ſcripta perquam auide legeram, ita nihil vnquam literis conſignaram. *I Lictor*, inquit Baldus, *quemuis ex ijs librum huc affer.* Dictum, factum. Perexiguo volumine, ſed minori, vt videbatur, pondere librum extraxit, & tradidit. Legerat vix conſul titulum cum ſeipſo ſeuerior, EPISTOLA, eſt inquit, ô Sigoni, LIBERII VINCENTII HOLLANDI. *Eane*, Sigonius ait, *ſiue monſtrum veriùs, quod heſternâ die pro munere noſtro examinauimus? Non hercle poterat quicquam nequius incidere. Neapoli venit. Ite lictores ibique ſcriptorem prehendite, & hic ſiſtite.* Abiere ſubito. Ego verò cum VINCENTII LIBERII HOLLANDI, meum ſcilicet nomen cognomenque & Patriam audiui, continuò obſtupui, meumque cor cœpit artem facere Ludiam, & in pectus emicare. Cumque calor omnis & ſanguis eo ſe reciperet, frigus membra occupabat, pilique ex contractione cutis erecti horrorem faciebant. Mecum tamen ipſe cogitans reputanſq;, nihil vnquam vulgaſſe certo certius ſciebam, & hac ipsâ præclarâ conſcientiâ ſecurus Patres intuebar. cum Baldus, *Agitur hic*, inquit, *libertas maris Adriatici, & ad Franciſcum De ingenuis Germanum ſcriptæ videntur literæ aduerſus Rempublicam Venetam.* Tum ego mihi ipſe. Quid inquam hoc eſt? Pro Veneta Republica ſtamus ſumuſque nos Hollandi. Ego verò ad Ingenuum ſcripſi certè, ſed ingenuo tantum non vulgo. eaque ſcripſi quæ Venetæ Reipublicæ auctoritatem atque Adriatici ſinus imperium firmare non conuellere poſſent. Iamque lictores, expectabam, qui Neapoli redirent, non enim ea modò ciuitas ab inferorum pœnis longè abeſt, ſtatutumque habebam memet ſtatim obijcere, vt purgarem à calumnia. Cæteri vero Patres Liberii aduentum attentius expectare videbantur, quam olim ſerui in Phœnicia Solem, aut equi hinnitum optimates in Perſia, cum à Fugitiuarijs retractum adeſſe clamatum eſt. Oculos intendo meamque ipſe formam, non ſine

ingenti admiratione inter lictores, virgaſque, & ſecures, ante Rhadamanti tribunal, inuitam & repugnantem pertrahi ſum intuitus. Reſiſtebat illa contumax, & refractaria: ſubiratuſque ſatelles,

Si hodie, inquit, *fuſtem cæpero aut ſtimulum in manu,*
Teſtudineum iſtum tibi grandibo gradum,

Cum meo quoque vocis ſono habituque reſpondentem audiui. *Neſcis tu quam meticuloſa res ſit ire ad Iudicem, quamque timor gradus & verba præpediat.* Itaque præ nimio ſtupore non mihi conſtabam, quærebamque admirabundus, quanam ego ratione memet ipſe amiſiſſem, quîue factum, vt alter modò Liberius cum nomine formam & vocem abſtuliſſet mihi? dicebamque, Næ ego homo ſum infelix, qui aut geminaui probè, aut

Quod nemo vnquam homo antehac
Vidit, nec poteſt fieri, tempore vno
Homo idem duobus locis vt ſimul ſit,

Id mihi euenit, nimiſque ſpeculum habere geſtiebam, vt me intuerer formamque viderem meam, an eadem eſſet. Sed Aretius laborem hunc minuit, interrogauit enim, *An Liberium illum mihi cognominem pernouiſſem*, cui eum ego, Qui ſit, neque ſcio neque noui, neque oculis vidi ante hunc diem: ſubdit, aurem ſcalpens, & amarum ſubridens, *aut ſycophanta eſt, aut geminus frater tuus.*

Namq́, ego hominem homini ſimiliorem nunquam vidi,
Neque aqua aquæ, neque lac eſt lacti vnquam ſimilius
Quam hic tui eſt tuque huius.

Maximus eſt hac ætate ſycophantarum prouentus, qui verſipelles ſe faciunt quando lubet. Hæc nos: ſed conſules, emunctæ naris homines, ſycophantam ſub odorati, Menippum neſcio quem ad ſe vocarunt, cui Draconem aurem lambiſſe diceres, adeo cuncta noſcere, atq; intelligere videbatur. Huic citò mandant, vt Liberium illum diligenter intueatur

atque

atque pertractet, perſonamque ſi ſit opus detrahat, & cunctis ſpectandum proponat. Acceſſit ille ſubſannator egregius, & Hiſpanico faſtu inter eundum videbatur

Inſultare ſolo, & greſſus numerare ſuperbos:

Toruumque intuens, *Heus tu*, inquit, *ede nomen*. Vincentius " ait Liberius. Tum Menippus illico, *quo Patre*? Ille verò ne de- " liberare quidem vt videretur cunctatus; ſed aulico aſtu, & imperterrita fronte, QVOLIBET reſpondit. Ingenti plauſu, riſuque, & ſibilo, excepta fuit tam acuta, neque minus fortaſſe vera, quam faceta reſponſio. Cum Menippus haud ineptè QVEMLIBET hunc VLISSEI NEMINIS fratrem appellaret. *Non potuiſti*, inquit, *Vappa, adeo cohibere te,* " *ac latere ſub alienâ perſonâ, quin te ſtatim proderes, atque velu-* " *ti ſorex indicio ſuo perires?* Noueram ego te iampridem, " Mottinumque ſciebam, tentaui tamen an veritas aliqua ratione inuito excideret: ſed cum tuæ tibi fraudis conſcius, veluti ſepia effuſo atramento euadere, fucumque nobis facere volueris, Age verò videamus, an ego te, Liberi falſe, faciam vt verus hodie reperiare Mottinus. Lictores interim, vt eſt ſatellitis ingenium, vel nutui obtemperantes, veſtes Belgico more concinnatas detraxerant, tum ille:

Vera redit facies, diſſimulata perit.

Reſpicio ego, & quaſi Circeum bibiſſet poculum faciem commutaſſe video. Monſtrum erat ſubnigrum, immò ſub viride, quod diligentius intuenti quaſi homo videri poterat, ſed macilentis malis, perexigua barba, puſilla ſtatura, triſti fronte, & maligna, ſed quæ longè arceſſito riſu neſcio quid ſatis blandum interque ridendum & ringendum medium ſemper offerret. Pileatus adhuc erat, cum Menippus, *Aperi*, inquit, *caput, frontemq; illam exanguem ac ferream per-* " *petuis ſtigmatibus inſcriptam oſtende. Frontem, inquam, attolle* " *cum omnis nequitiæ, tum ſingularis, ac præcipuæ impudentiæ ſe-* " *dem. quo liceat eam cunctis inſpicere, & palam ſpectare, integu-* "

Mottino detra[ctio] perſonæ

Mottini deſ[cri]ptio

» *mentis atq; inuolucris omnino reiectis; ſuperciliis verò iſtis tan-*
» *topere adductis quãta inſidet ſuperbia? quanta arrogantia? Emũ-*
» *ctiſſimæ nares proximæ ſunt, ipſeque adeo naſus aduncus, quo*
» *mortales omnes ſuſpendis: Sed qui Lynceo quouis perſpicacior*
» *haberi cupis, es tamen Hypſea cæcior, atque oculis captus. quibus,*
» *vt nullus planè eſt pudor, ita nullus ſenſus. Os impuriſſimum de-*
» *inde inſpectandum præbe, inquinatiſſimum, & contaminatum*
» *ijs flagitiis omnibus, quæ nullæ vel turpiſſimæ aures ſuſtinere*
» *poſſent. Dentes caninos probe diducito tam immani patefacto*
» *hiatu, vt quantopere mordeant omnibus pateſcat. Exere, & pro-*
» *fer totam, quanta quanta eſt, linguam eâ lubricitate, ac procliui-*
» *tate ad maledicendum, vt probris, & conuiciis onerando cumu-*
» *landoque, indiſcriminatim omnes, vna ipſa ſufficiat, nullaque ra-*
» *tione ad procerum menſas, niſi maledictis quaſi præſenti teſſera*
» *admitti ſoleas. Sed caput ipſum accuratè totum perluſtremus,*
» *cuius partes omnes vbique ita ſunt compactæ, vt ſi quid eſt ra-*
» *tionis & mentis vſpiam, id quàm facillime effluat, nihilque præ-*
» *ter inſignem vecordiam omnino relinquat. A ſummo tandem*
» *vertice vſque ad imos talos quicquid patet in longum latumque*
» *porrectum, ex fraude, nequitiâ & libidine, totum eſt coagmenta-*
» *tum, vt facilè dubites an ipſe totus ex nequitiâ, an ex ipſo tota*
» *nequitia ſit conflata.* Hæc nos, dum ille diceret, contemplabamur. Patres verò, qui è regione ſedebant aduerſumque Mottinum inſpectabant, neſcio quid attentius animaduertere, atq; inter ſe conferre videbantur. Cum ille repente nobis etiam quod miraremur obtulit. Oſtreatum nempe tergum, atque adeo varia latera, & cicatricoſa

Vt ne periſtromata quidem æquè picta ſint Campanica,
Neque Alexandrina belluata conchiliata tapetia.

» Tum Menippus, *Manus*, inquit, *oſtende nobis? Quid expal-*
» *luiſti, & furtiuos illos oculos huc illuc iacis? Quærebam*, ait,
» *Proregem, in quo mihi ſpes omnis erat, dum offa monuit, vt tan-*
» *tas ſtruerem mendaciorum moles*: Cumque omnes riderent,

ſerio

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
504 B 174

ſerio cognouit ne Iouem quidem extra cœlum ſuum regnare. Iam Lictores manus extraxerant, & Menippus, *En vobis,* “ inquit, *monſtrum cum ſenis manibus genere Geryonaceo.* Vn- “ gulæ verò probe vncinatæ, Hiſpanica vnguenta ad nauſeam vſque, furtum ſcilicet & rapinas, olebant. Quæ cum lictor vidiſſet, homo minime formidoloſus, quiq; alias auguria auſpiciaque cuncta parui faceret, ſibi talis tantique monſtri tactione metuens, turbatum ſputo puluerem luſtralique mixtum ſaliua medio digito ſuſtulit, & frontem, vt ſeſe rite expiaret, impari numero ſignauit. Sed Menippus, *non ſatis,* inquit, « *fuit huic ſemi-Romano, Hiſpanoue, aut veriùs ex vtriſque mix-* « *to Leoni, perſonam pellemque detraxiſſe, niſi illum etiam, vt aſi-* « *num maximè decet, more ſuo rudentem audiamus. Loquere igi-* « *tur, nobiſque* “

Dic quâ Teſiphone, quibus exagitare colubris?

Dum ſapientiſſimæ planeque diuinæ & immortali Reipub. im- “ *puro iſto tuo atque improbo ore maledicis. Age.* “

Quod quæro enoda, & qui ſis explica.

Tum ille multa quidem blaterauit, quæque dum recitarentur, ſæpius Priſciano & Orbilio caput frangerent, riſumq; ſimul & ſtomachum cunctis mouerent. Quorum aliquot meo, licet multo nequiore ſermone, vt ipſe dixerat referre libet. *Nunquam profectò exiſtimaui futurum, Inferi Manes, vt apud* « *vos cauſam dicerem irritumque l:borem ſuſceperat,* quiſquis il- « le fuit, qui mihi perſuadere conatus eſt, neſcio quam hominis « partem etiam poſt mortem remanere, vitamque ſine cibo, « & potu ſempiternam viuere. Etenim ſicuti ego non aliud cœ- « lum noui quam quod Græci eleganter οὐρανίσκον, noſtri palatũ « appellãt, eadem fermè ratione non orbis quidem, ſed homi- « nis, qui tamen μικρόκοσμος dicitur, inferna quacumque ratio- « ne & lingua, & animo colui. Quo factum eſt, vt ſacerdotali « veſte, magnaque Referendarij dignitate qua initiatus fue- « ram repudiata, vxorem potiùs ducere voluerim, quæ dotem « daret,

» daret, quæque dum declinatus in thoro mollicello, in viola,
» & roſa ſterterem, ventulum faceret, neque lectum in pugna
» inuenuſtè moueret. Modò verò cum vos videam, timeam-
» queſerius, ne deus aliquis Olympo inhabitet, vellem herclè
» potiùs meum ipſe cogitare, vitæque meæ rationes ſubducere,
» quàm ex tempore in tali tantoque Senatu verba facere. Sed
» cum deliberare mihi non ſit integrum, debeamque, velim
» nolim, Menippo iſti cuius apud me ſemper venerabile ſem-
» perque ſanctum nomen & artes fuerunt, obtemperare; re-
» ſpondebo, & quæcumque petijt quam breuiſſimè potero
» paucis abſoluam. Duo ſunt, quæ ſcire cupis, Menippe: Cur-
„ ego contra Rempublicam Venetam tam immodeſte ſcripſe-
„ rim, & quiſnam ego ſim. Agam, vt ſemper ſoleo, tecum et-
„ iam præpoſterè. Priuſque dicam eum eſſe me, quem probè
„ noſti, Laurentium Mottinum Romanum ciuem, cuius ma-
„ iores omnes bonæ fidei Pultiphagonides fuere atque ex il-
„ lis antiquioris notæ patritijs, qui, vt Romulus olim pro
„ ambroſia,

Gaudentia frigore Rapa

„ feruentia vorarunt, quique non ſolum, vt magnus ille, rectas
„ aratri vomere foſſas ſulcare voluerũt, ſed etiam vt non aruus
„ tantum ager, ſed paruus quoque eorum induſtriæ multum
„ deberet, fæniſecas caprimulgoſque egregios ſeſe præbue-
„ runt. Ego verò è tribu Ruſtica, quam ſemper haud imme-
„ ritò vrbanis præpoſuit Romana Reſpublica, Patre, Auo, cæ-
„ teriſque maioribus ruſticis ortus, ijſdem ſemper, vti pium fi-
„ lium decet, veſtigijs inſiſtere, nec vlla ratione à gentilitia
„ gente degenerare volui. Non tamen Leguleius, vt cæteri gen-
„ tis meæ proceres, ſed ſyllaba tantum auctior Leguleius; ne-
„ que rei pecuariæ, ſed ipſi pecuniæ, quæ tamen à pecude mu-
„ tuata nomen fuerat, operam dedi. Oraculum enim ex tri-
„ pode ſemper exiſtimaui vetus illud

Quid

quid vis nummis præſentibus opta,
Et veniet; clauſum poſſidet arca Iouem

Hinc factum eſt, vt patriam parui facere, immo verius odiſſe «
cœperim, vbi ſemper, quaſi cochleam in occulto latentem, «
meo mihi ſucco viuere, triſtique domicœnio laborare ne- «
ceſſum erat. Ego verò, Inferi manes, ita me amet ſancta Sa- «
turitas, itaque me ſuo ſemper condecoret cognomine, fami- «
liarem domeſticumque cibum odio ſemper habui, «

Nec vnquam quicquam me iuuat, quod edo domi.
Foris aliquantillum etiam quod guſto id beat.

Cum itaque Roma abirem, nihil mihi, præter rem, & verita- «
tem defuit. Fames autem, mendacia, dolique etiam ſuperfu- «
re. Neapolim petij, vbi, quod paucis euenit, peſtibus illis «
quibus honoris & exiſtimationis ſpecioſa nomina vulgus «
indidit, ſuas ſibi res habere iuſſis, ſine fronte & ſine corde, fe- «
licem nimis beatamque vitam lautiſſimè vixi. Quænam «
etenim cœnatica ſpes mihi defuit, aut quæ decollauit, dum «
Oliuarenſis Ducis culinam, caminumq; auguraculum me- «
um feci? O quoties, quoties ante decempedem vmbram «
triclinium ingreſſus, eleganter inſtructas atque oneratas «
epulis menſas inueni, corporaque pennipotentum, per pe- «
ctus, per clunes, ab eruditâ manu in fruſta excuſſas, haud per- «
functorie voraui? Sed quid ego, Inferi manes, iſta comme- «
moro? Magnis herclè, atque innumerabilibus beneficijs ab «
Oliuarenſi Duce affectus fui, qui ventris mei gurgitem atq; «
ingluuiem toties impleuit. Sed cum manibus etiam, manibus «
hiſce meis auaris, abſit inuidia verbo, & inquinatiſſimis, ſub- «
iecti populi regimen permiſit, quid ſibi ad virtutes meas ex- «
ornandas reliquum fecit? Ego verò vt tanti beneficij me- «
mor aliqua ratione videri poſſem, cum AVDITOR, vt aiunt, «
ROTÆ, renunciatus eſſem, pecuniolas omnes quotquot at- «
tigi, abſque vlla crumenæ diminutione, pura ſimplicitate «
meas feci, licetque Ioanni Baptiſtæ Spinolæ, Marcoque An- «
tonio Auriæ, nobiliſſimis viris, multis, magniſque nominibus «

„ deuinctus eſſem, atque adeo amicitiæ obtentu in abdita eo-
„ rum conſilia penetraſſem; memor tamen neminem cuique
„ ſemetipſo chariorem eſſe debere, aureorum illis nummum
„ pauxillulum, tria nempè circiter milia, per fraudem ingenio-
„ ſamque proditionem abſtuli. Hac inſtructus pecunia vxo-
„ rem duxi, & quæcumque rapui, Priapo, & Ventri, Dijs ma-
„ gnis, lateque potentibus conſecraui. Verum enimuero cum
„ hæc ad Oliuarenſis Ducis aures perueniſſent, agereturque
„ Montoiæ exiſtimatio, cuius ego nomine rapinas & furta
„ mea contegere ſolitus fueram, deturbatus repente è ſolio
„ atque in præceps datus corrui: Tertio namque Idus Iulij,
„ anno à Chriſto nato M D. C VIII, quæ ſemper infelix mi-
„ hi ſemperque nefaſta dies erit, ipſis hiſce verbis, quæ nun-
„ quam è memoria excidêre, ſententia contra me lata fuit,
„ QVOD DICTVS LAVRENTIVS MOTTINVS
„ VT SVPRA INQVISITVS relegetur in INSVLAM
„ per annos tres continuos, & de CÆTERO NON EXER-
„ CEAT OFFICIA: &c. Ex ea namque die, licet dicam
„ ſæpius & vſque ad rauim clamem,
„ *Ius anceps noui, cauſas defendere poſſum:*
„ Neminem adhuc inuenio, qui me vel fruſtro panis condu-
„ cat, & quamuis Dionyſi illius magni, cuius ego regnandi ra-
„ tionem in magiſtratu meo ſemper fui ſecutus, ſatis memor,
„ ludum aperuerim, grandique prætexato pædagogum me
„ haud omnino malum præbuerim, nihil tamen adhuc præter
„ quandam Hiſpanicam declarationem obtinere potui, quaſi-
„ que claudus ſutor domi ſedeo. Hæc, Inferi Manes, hæc, Me-
„ nippe, de natalibus vitæque meæ ratione ſatis ſuperque dicta
„ ſint. In ijs vero narrandis, ſi pudoris, ſi modeſtiæ limites præ-
„ tergreſſus fortaſſe videor, me vobis omnibus hac vna ratio-
„ ne vehementer excuſatum volo, quod cum omnia in gente
„ noſtra laus occupauerit, nihilque maledicto & obtrectatio-
„ ni, nihil vel ipſi inuidiæ loci relictum ſit, plenam idcirco lau-
dibus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
504 B 174

dibus noſtris orationem, vel inuitus habere conatus ſum. «
Quod autem in Rempublicam Venetam iurgia, mendacia, «
falſitateſque coniecerim, fatebor ingenuè, me, nec amore «
cuiuſquam, nec odio adductum, neque vt poëtæ ſolent per «
riſum & iocum mentitum eſſe, ſed cum ego ſemper plus pa- «
lato, quàm corde, aut ingenio ſapere voluerim, in hac etiam «
re non non alium artis magiſtrum, ingenijque largitorem, «
quam ventrem cognoui. Is creauit has ærumnas mihi. Non «
enim quod tantæ Reipublicæ, quæ ſola Italiæ libertatem, & «
dignitatem ſuſtinet vellem ire detractum; ſed ne dentes «
dentirent, ne perpetuò eſurirem, aliquid neceſſario dicen- «
dum fuit. Pauciſſimi ſemper inuenti ſunt qui male gratis eſſe «
voluerint, neque inter hos ego nomen profiteor meum. «

Ipſi qui Cycinâ traducunt tenpora cœna.
Nonnunquam nummis vendere verba ſolent.

Quid ego facerem prandijs elegantiſſimis præſentiq; pecu- «
nia perſępe conductus? Quæcumq; OSSVNENSEM Ducem «
velle mihi perſuaſi, non alia ratione quàm vt ederem edidi. «
Nihil tamen ex meo penu ſed Valentzuolæ cuidam Hiſpa- «
no, vt ſæpe in conuiuijs, ita in ſcriptione me veluti vmbram «
adiunxi. Nomen verò meum non præpoſui, ſed alienum «
quaſi laruam adhibui, VINCENTII LIBERII. Igitur «
nulli ſum culpæ affinis, cum nihil meum in hac epiſtola dici «
poſſit: Valenzuolæ ſunt verba, Liberij titulus. Si quam vero, «
quod nõ video, neq; credo, culpam cõmerui, illud cogitate, «
Inſeri Manes, Aulicos eſſe nos, neq; ſi quid peruerſè agimus, «
illud nobis imputandum, qui veluti ſigillaria, vel neuroſpaſta «
quædam, non motu noſtro, ſed verticillis ac neruis ad arbi- «
trium alienum mouemur. Quod ſi neque ſatis vobis facit, «
protendo ad genua veſtra ſupinas manus, petoque, & oro, vt «
quid vobis in me pro Stygia veſtra *infernalique benignitate* «
ſtatuendum ſit, etiam atque etiam conſiderare velitis. Hæc ille «
inter gemitus lacrymaſque fundebat, tacentibus adhuc cun- «

 ctis,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
504 B 174

ctis, & ad neutram partem aſſentationem flectentibus, pluraque dicturus videbatur, cum Menippus, *O Virum*, inquit, *paucorum hominum, quique ſermonem habet non publici ſaporis. Ne putes, Mottine, tam verboſam, adeoque ingenuam, & veram orationem perdidiſſe. Inueniſti patronum: Artemonis ego clypeum ſupra te ſuſtinebo. Pauorem itaque expectora, nec ſupplex in genua decidas. Surge, nimiâ prêcantis humilitas in contemptum tranſit. Surge, & bene ſpera. Non faciam,* ait ille, *non faciam. in malis namque ſperare bonum niſi innocens nemo debet. Mane igitur,* inquit *Menippus.*

Mane tuo arbitratu, vel adeo vſque dum peris.

Ego tamen, vt aliqua ratione animum erga te meum oculis omnium ſubÿciam, hominique tam benè de me merito, quique meum nomen & artes tanti facere teſtatus eſt, deeſſe non videar: defendam quicquid ſcripſiſti, neque permittam hac nocte à quolibet deſiderari officium, erga te meum; faciamque, ita ſupercilium ſalit, vt non ſine pompâ triumphoque diſcedas. Agite P. C. poſtquam Mottinum ipſum non ſolùm oculis hiſce noſtris, ſed etiam oratione ſua nudum ſatis ſuperque inſpeximus, ſi quis epiſtolam ab eo vulgatam culpare audet, dicat, Menippumque pro Mottino reſponſum ſciat. Tum ille cor Aſtreæ legumque iecur Baldus, conſulari quidem dignitate, ſed immortali clariſſimi nominis gloria multò magis eminens atque conſpicuus ſurrexit, iratoſque oculos & graues, bis terque circumtulit; atque adeo his verbis, ni mea me ſomniantem fefellit memoria, cauſam dicere, tacentibus cunctis, exorſus eſt.

„ *Tria ſunt, quæ veluti à Iuriſconſultis accepta Mottinus in hac*
„ *epiſtola introduxit.* Primum res communes conſuetudine
„ quæri, non præſcriptione. Secundum mare eſſe commune,
„ ſed à Venetis acquiri non potuiſſe. Doctores enim tenere
„ quidem acquiſitum fuiſſe ab eis, ſed de juriſdictione tantum
„ loqui, non de impediendo commercio. Tertium legibus ſan-
„ citum eſſe quouſq; pertingat eorum mare, ad ſummũ ſcilicet

centum

centum ſtadia. Hæc breuiter, & eodẽ ordine cõfutabo. Nam per ordinẽ intellectæ res magis delectant animos, mẽtes magis nutriunt, ſenſus magis illuminant, & memoriam reddunt clariorem. Venio ad primum. Omnia quæ acquiruntur, aut ſunt nullius, aut cõmunia multis, aut alterius. Quæ ſunt nullius acquiruntur occupatione, quæ ſunt communia conſuetudine, quæ ſunt alterius præſcriptione. Vnde ſequitur quod propriè Reſpublica Veneta Mare Adriaticum, ab Imperatore derelictum & factum nullius, occupatione, vt primæua mundi Imperia, occupatione acquiſiuerit, attamen per exceptionem in hoc ſuo maris dominio nominibus etiam conſuetudinis & præſcriptionis aptiſſimè vti poteſt. Vnde oritur quod nos Doctores hæc nomina ſæpe uſurpauimus. Sic Bartolus præceptor meus honorabilis *longam conſuetudinem* appellauit. Sic ego eum ſequutus *tantam conſuetudinem* dixi *vt non exiſtat memoria in contrarium*. Sic tu Salicete, ſic vos omnes P. C. Sexcentis in locis *conſuetudinem* appellaſtis. Falſum eſt tamen quod ait Mottinus Ingenuum reprẹhendens, Doctores claſſicos ſemper conſuetudinem dixiſſe. Angelus enim Aretinus quærens *an mare & flumina publica præſcribantur tanto tempore cuius initij memoria non exiſtat*, dicit, *quod ſic*, & concludit, *Venetos præſcripſiſſe Gulfum Maris*, id eſt, præſcriptionis exceptione vti poſſe. Sic tu Iaſon Iuriſprudentiæ lumen clariſſimum dixiſti, quod *Veneti licitò præſcripſerũt Gulfum maris tempore, cuius initij memoria non eſt in in contrarium*. Sic tu, Angele, patriæ noſtræ, & huius literati Senatus eximium ornamentum, concludis; *Præſcripſerunt ergo Veneti, & Ianuenſes Gulfos ſuos, & ſic Gulfi illi ſui ſunt*. Sic tu Cipolla doctiſſime, ſcriptũ reliquiſti, quod *mare præſcribi poteſt tãto tempore, cuius initij memoria non exiſtat*. Ex quo inſers quod *DD. Veneti, qui Gulfum maris Adriatici per tantum tempus cuius non extat memoria poſſederunt, ipſum mare quo ad eius poſſeſſionem, Iuriſdictionem & Dominium præſcripſerunt.*

l. iniuriarum §. in ff. De iniur. l. 3. C. de naut Fin. ead. l. §. Flumina de rer. diuiſio. l. quo minus de flum n. 40. §. final. de vſucap. In trac. de ſer. ruſt. præt. cap. de Mari n. 7. & 8.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
504 B 174

tract. de præſcript. n. 5. & 6.

» Sic ego etiam diſertè ſcripſi quod ***loca publica, & mare***
» *ipſum præſcribitur tanto tempore cuius initij memoria non exi-*
» *ſtat*. Vnde etiam ſecundum mentem Clariſſimorum ferè om-
» nium Iuriſconſultorum inferre volui *quod DD. Veneti præ-*
» *ſcripſerunt Gulfum maris*, ideſt, præſcriptionis exceptione vti
» poſſunt. Sic vos omnes Doctores Clariſſimi & toto terra-
» rum orbe celeberrimi, loquuti eſtis. Diſce igitur, Mottine
» mi, diſce tandem, rectè Ingenuum ſcripſiſſe, & non ſine ma-
» gnis auctoribus hac in re validum eſſe & potens argumen-
» tum, à præſcriptione temporis ſcilicet per exceptionem.
» Quod etiam ſapientiſſimus ille Pacius, cuius ope atque vir-
» tute vera & ſolida Iuriſprudentia reuiuiſcit, cuius ore nos
» omnes loquimur, & ſpiramus, Anonymum neſcio quem tui
» ſimilem docuit. Ne igitur temere audeas in poſterum ar-
» gutari, & quæ nos ſcripſimus vel tuis vel Valenzuolæ
» verbis gloſſare, ut ſcripta noſtra inuita & obtorto collo in
» ſenteniam veſtram trahatis. Quod autem ſubdis primarios
» Doctores ſtatuere quod Veneti acquiſierint iuriſdictionē in
» eorum mari, ſed de iuriſdictione eos loqui non de impedi-
» endo commercio, id eſt de Gabellis exigendis & hoſtibus vel
» priatis arcendis; eſt adeo falſum, vt nemo vnquam poſt ho-
» mines natos putidiora mēdacia ſcripſerit. Hoc eſt quod mi-
» hi ſecundo loco tractandum propoſui P. C. in quo liceat
» mihi fidem veſtram & memoriam excitare quidnam ſcri-
» ptum reliqueritis; nemo enim melius ſcire poteſt quàm vos
» ipſi. O Mottine, Mottine, tu cum incipis mendacia dicere
» & impudenter agere, nunquam deſinis, & perſonam ſemel
» ſuſceptam ad finem vſque egregie ſuſtines. Nonne Ange-
» lus conciuis meus ſcriptum reliquit? ***Et ideo quia Veneti per***
» ***tantum temporis cuius initij memoria non exſtat, prout eſt no-***
» ***torium, nauigare ipſi ſoli ſunt ſoliti per illum Gulfum, & cæteri***
» ***omnes ſoluunt dictis DD. Venetis Datia & Gabellas, iam apparet***
» ***quod proprietatem ipſius Gulfi acquiſiuerunt, & poſſunt impo-***
nere,

l. ſacre. de iniur.

Conſ. 289.

nere, & augere Gabellas & Datia in mari, & alijs Ius nauigandi interdicere per eorum Gulfum, nonne Iaſon ſcripſit? Item, *Gulfus maris Venetorum eſt in eorum Dominio, & poſſunt de iure interdicere Ianuenſibus, & aliis, ne poſſint in Gulfo nauigare.* Nonne tu Bertachine, ſcripſiſti *quod Veneti poſſunt pro mercibus maritimis Gabellas imponere, & quod debet ſolui pedagium in mari, ſicut in terra, ſi eſt impoſitum per Dominum Maris. Venetos verò ex conſuetudine eſſe Dominos Maris Adriatici.* Nonne tu Cipolla in dicto tractatu concluſiſti, quod poſſunt *Veneti in Gulfo imponere gabellas, confiſcare bona, & merces nauigantium.* Ego vero quid hac de re ſenſerim pluribus in locis teſtatum reliqui. Nam in tractatu de præſcript: dixi *quod Veneti aliis nauigare volentibus poſſunt interdicere, & quod ab eis licentia petenda eſt.* Alibi etiam licet de Venetis expreſſam mentionem non fecerim, dixi tamen clarè *quod per longam conſuetudinem acquiritur Dominium maris, & Ius imponendi pædagia, & Gabellas.* Innumeri ſunt, Mottine, ex hoc literato Senatu qui talia ſcripſerunt, vt improbis anſam auferrent veritatem deprauandi. Tu verò Oſſunenſis Ducis vile mancipium, qui pro Italo atque, ſi Dijs placet, Romano Patritio te venditas, non modò falſam doctrinam diſſeminare, ſed etiam mendacia ſpargere, vt libertatem Italiæ oppugnares, voluiſti. Et audes etiam doctiſſimis Doctoribus, ampliſſimiſque Senatus noſtri Patribus, auctoritatem & fidem minuere ijſque te ipſum, aut Valenzuolam opponere, qui heri aut nudius tertius è dupondio Iuriſconſulti prodijſtis? Sed quoniam in hac ipſa tua epiſtola Hiſpanum illum laudas & eius ſcripta, volo tibi dicere, quod ſi quis de induſtria remoueret omnem ornatum, & omnia pigmenta orationis, & gratijs omnibus nuncium remitteret, vt eſſet planè diſſimilis ſcriptorum omnium qui rectè ſcripſerunt, vix aſſequi Valentzuolæ ineptiſſimam ſcriptionem poſſet. Sed eum mittamus, cuius libros citiùs quàm ipſe vellet vna cum auctore his in locis ad cenſuram

Lex hoc iure, de iuſt. & iure. n.27.

,, ſuram vocabimus. Venio ad tertium quod ſoluẽdam propo-
,, ſui, dum ſcribis, legibus ſancitum eſſe, quouſque pertingat
,, Venetorum mare, nempe ad centum ſtadia. Tuam fidem
,, Mottine, quæ nam lex id ſtatuit? Quiſnam Legiſlator Ve-
,, netorum Imperij fines circumſcripſit? Et audes etiam, Ne-
,, bulo impuriſſime, *Charybdim*, *ſtellam crinitam*, *mercatores*
,, *emungendi libidinem*, ceteraque conuicia in tantam Rempu-
,, blicam dicere? Territorium, ais, eſt centum ſtadiorum. Quod
,, etiam abſolutè probatum falſiſſimum eſt. Quis enim Ciui-
,, tatibus ſingulis æquale Territorium conſtituit? Maritimis
,, verò ciuitatibus, vt ait Ariſtoteles; mare pro Territorio eſt?
,, Venetijs etiam pro muro. Sed quid ego Territorium dico
,, aut Ciuitatem? Reſpublica Veneta, Regnorum Domina,
,, potens, maxima, Italiæ libertatis propugnatrix, maritimam
,, ſuam ditionem, atque imperium, de quo nunc agimus, vltra
,, centum ſtadia extendere non poteſt? quodq; præſcriptio-
,, ne, vel ſi mauis, Mottine, conſuetudine tam diuurnâ poſ-
,, ſidet, nunc in dubium vocabitur? Tune is es, bone vir, qui
,, Oſſunenſi Duci has faces ſubminiſtraſti quibus Italiam vni-
,, uerſam incendio conſumeret? Tu, Mottine, tu, cæterique
,, tui ſimiles paraſitaſtri illi auctores fuiſtis, vt pace quæ vige-
,, bat, violata, in Gulfo piraticam exerceret, & amicæ Reipu-
,, blicæ onerarias triremes duas per dolum & fraudem merci-
,, bus onuſtas caperet: deinde verò fuga ſibi conſuleret, ita-
,, que conſuleret, vt à Veneta Claſſe, ſæpe prouocatus nun-
,, quam in pugnam deſcenderet, ſed naues ſuas, & triremes,
,, vel in Brunduſinum portum contineret, vel celeri fuga Ve-
,, neto Imperatori legitimo Adriatici Domino, eius Imperi-
,, um & iuriſdictionem concederet. In te igitur & cæteros
,, pares tuos mendaciorum pœna cadere debet, non modò,
,, quod ea ſcripſeris, ſed etiam quod tantorum malorum cauſa
,, fueris. Vt facinoris perpetrati debitam ſentias punitionem,
,, & graue *ſtatuatur exemplum in poſterum omnibus ijs qui talia*
committere

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
504 B 174

committere audebunt. Iacebat tali tantaque, non minus vera "
quàm ſeuera oratione perculſus Mottinus, iamque pallere, "
& animo linqui cœperat, cum ridens Menippus, *Hæc*, ait, "
omnia tam facilè ſoluam "
quàm pyrum vulpes comeſt.

Ridebant Patres, nam Menippum illum ſatis, ſuperque noverant. Cum SIGONIVS grauis Orator, & vehemens, quaſi contra Robertellum dicturus ſurrexit,

dextraque ſilentia iuſſit.

Vulgata eſt P. C. atque omnium hominum conſtantiſſima opinio, "
eas Venetæ ciuitatis opes, eam Veneti Imperij magnitudinem eſ- "
ſe, ut eius demum vnius Vrbis ſtatu vniuerſæ Italiæ incolu- "
mitas atque amplitudo nitatur: neque vero poſſit vllum ea "
Reſpublica detrimentum accipere, quo non eodem omnes "
penitus Ciuitates Italiæ conflictentur. Rempublicam enim, "
& populi libertatem, quam cum alij ante multi tum maximè "
Romani ſummo conſilio tractaſſe & defendiſſe ſemper vi- "
dentur, nunc multò certè prudentius Veneti Patres, & ge- "
runt, & tuētur. Itaque vt illi bellicis fortaſſe artibus, ſic hi do- "
meſticis; ut illi Imperij magnitudine, ſic hi diuturnitate iure "
gloriantur. Si quidem inde vel cum hoſtibus vel inter ciues "
perpetuò dimicatum, hinc optatiſſimos pacis fructus domi "
foriſque partæ quotidie percipiuntur. Inde pauca quædam "
grauioris dominatus luſtra; hinc iuſtioris imperij infinita iam "
propè ſecula numerantur. In hoc igitur nobiliſſimum liber- "
tatis & gloriæ domicilium, quod omnibus de cauſis vene- "
rari potiùs quàm aliquo verbo lædere debebant, ineptiſſi- "
mi quidam nebulones tam petulanter invadere, mendacia- "
que & maledicta tam lutulento ſermone fundere auſi ſunt, "
ut graviores pœnas & cruciatus optimo iure ſibi vindicent "
provocentque ſerio auctoritatem veſtram ad tantam licen- "
tiam effrænatamque maledicendi libidinem coercendam. "
Ego verò qui Venetum nomen contemni & irrideri non po- "

„ teram non iniquo animo ferre, iam apud me conſtitueram
„ P. C. cum primum licuiſſet hac de re ad vos referre. Sed ea
„ nunc ſe offert occaſio, ut in hoc Mottino quid in aliis ſentia-
„ tis, graui ſeueroque iudicio facillime cunctis oſtendere poſſi-
„ tis. Quis enim Venetam Rempublicam *furem*, ut eius ver-
„ bis vtar, *alienaque ſurripuiſſe*? quis eamdem *portoria nullo*
„ *iure exhauſta reuomere* debere? *nimia imperandi, & mercato-*
„ *res emungendi libidine* flagrare? quis *mare in aula magni Con-*
„ *ſilij recludendum eſſe*, præter teterrimam & flagitioſiſſimam
„ iſtam belluam ſcripſiſſet? Sed non ſatis habuit eam iurgiis
„ atque maledictis laceſſere, niſi etiam eius maritimum impe-
„ rium, vi quantâ maxima poſſet, infirmare atque convellere
„ tentaſſet. Quid tamen affert, Ait Galliæ Reges Flaminiam,
„ & Picenum Romano olim Pontifici donaſſe. Ait Apuliam
„ ſtrenuos olim Reges & bellatores habuiſſe. Quod ſicuti mo-
„ dò nō oppugno, ita illud ſtatuo, quod ſapienter collega meus
„ ſapientiſſimis viris auctoribus confirmavit. Venetam Rem-
„ publicam multos, & ferè innumeros iam annos, Adriatici ſi-
„ nus imperium tenuiſſe, præterea neminem. Quod verò ſcri-
„ pſiſti, Mottine, Apuliæ Reges Adriaticum tutatos eſſe, claſ-
„ ſemque in eo habuiſſe, tuum eſt mendacium. ſicuti acerbi-
„ tatis etiam tuæ quaſi virus euomuiſti cum Siculo Regi Vene-
„ tos æquare ridiculum ſcripſeris. Ita ne vero Mottine? Vene-
„ ta Reſpublica belli paciſque artibus inter omnes clariſſima,
„ quæ cum ſummis Regibus, & Cæſaribus, non ſemel iuſtis vi-
„ ribus decertavit, atque victrix diſceſſit; quæ Chriſtianorum
„ Principum ferè omnium vires, & impetrum ſuſtinuit, &
„ fregit; alteriuſque Ducis vel cunctatione, vel nimio bellan-
„ di ſtudio victoriam, non libertatem amiſit; quæ his ipſis tem-
„ poribus in Hiſtriâ, Forojulij, & Inſubriâ, maximis exerciti-
„ bus, in Adriatico ſinu maximâ claſſe, alibi quoque ingenti
„ pecunia tantorum Principum vires eludit, ut ſuam-met, in-
„ felicisque Italię libertatem tuetur; eam ſcilicet Mottine, Apu-

liæ Regulis non parem facies ſed Comiti Zenghæ, *cum quo*, inquis, *viribus certet*. O immoderatam obtrectādi libidinem, quæque natura excitata, & conſuetudine confirmata, monſtrum hoc, ut in Venetam Rempublicam, quam omnium iuſtiſſimam eſſe ſentiebat, effrænatè ferretur, induxit? Veneti, igitur Veneti, qui ſolis in terris, hodie natiuam libertatem perpetuo, ac minime interrupto tenore mille amplius annos egregiè ſuſtinent, qui terra marique maximū pulcherrimumque Imperium obtinent, Comitibus Zenghæ æquiparandi? Dij Deæque omnes te perdant tenebrio, cum hac tua ineptiſſima cōparatione. Quod vero Adriatici ſinus præfectum à Venetâ Republicâ creari, claſſemque ad ſuperi maris tutelam perpetuò teneri, nihil ad rem eſſe affirmas. (Rex enim, inquis, Hiſpaniarum ſummum Imperatorem in Mediterraneum deligit.) Ego quid Rex ille iuris ſibi arroget, quidve agat non quæro: Illud ſcio, Venetam Rempublicam hoſtes, atque piratas arcere, portoria exigere, Adriaticum ſinum tueri. quæ cuncta reapſe fieri nemo inficias iverit, & iure fieri Iuriſperitorum conſenſus ſatis ſuperque declarat. Quid vero inepte blateras de Anniuerſaria deſponſatione, quam vocant, maris Adriatici? quæ cum Cæſaris ipſius, & Romani Pontificis, & Regum ferè omnium legatis præſentibus in triumphi ſpeciem fiat, quantum ad has controverſias afferat momenti nemo non videt. Tibi tamen riſum mouet, ridiculum caput, ut ſcilicet quibus nulla ratione reſpondere poſſis compreſſis ſaltem labiis, & inſano riſu, ut ſcurram parem tuum maximè decet, reſpondeas. Laudo commentum. Lugdunenſis conſilij ſententiam, quam fruſtra abs te quæſitam dicis, Cardinalis Florentinus facilè te docebit, modò conſilium eius 209. conſulere velis. Quod autem Veneta Reſpublica Cęſaribus, Romanis Pontificibus, ſummiſque Regibus, & aliis innumeris non ſemel facultatem fecerit vel negaverit, quâ ſuperum Mare, ſiue Adriaticum ſinum ingrederentur

„ clarius eſt magiſque teſtatum, quàm vllius opera indigeat.
„ Docuit Ingenuus, docent Venetorum acta, neque tu men-
„ daciis tuis adeo claræ veritati fucum facere tenebrasque of-
„ fundere potes, imo quæcumque affers ſatis ſuperque vnico
„ verbo refelluntur, *mentiris*. Sed tuo tam præclaro operi co-
„ ronam imponis, ſomniaſque Venetam Rempublicam has
„ facultates arbitratu tuo in poſtremum fingere velle. Quam
„ eſſe hanc dicam tam acrem, tamque effrenatam maledicen-
„ di, & alienæ famæ lacerandæ libidinem, ut ſomniis quoque
„ eam oppugnatum eas? Etſi quid ego hæc ſomnia appello,
„ quæ ne ſomniorum quidem vmbræ ſunt? Qui dormiunt,
„ putant ſe videre aliquid, & vanæ illæ rerum imagines quæ
„ animos ludificantur, relinquunt plerumque impreſſam in
„ memoria ſpeciem ſui. Tu verò tibi ſomnia etiam fingis, &
„ quæ non vidiſti neque ſcripta neque picta, neque ficta, iis
„ Venetos vrges, & ad obſcurandum vetuſtiſſimi Imperij
„ ſplendorem, iniquiſſimè abuteris. O acumen? ô nouam,
„ & nunquam antea excogitatam atque animadverſam
„ immani rabie ſæviendi libidinem! Aquatis, ut inquit Var-
„ ro, lutea videntur omnia, nimirum quæ vident: tibi vero
„ illa etiam quæ non vides, tuo viru & felle aſperſa videntur.
„ Quid te commeritum eſſe dicam hoc furore & morbo
„ animi planè canino? Sed volo cohibere me, ne præiudi-
„ catione damnatus videre poſſis:

Hæc vbi dicta dedit, pauſam facit ore loquendi.

Menippus vero caput digito ſcabere, & ocubos circumferre, facilique *& hilari vultu, non conuenit, apud vos,* inquit *P. C. longa oratio.*

Nec res atteritur longo ſufflamine litis.

„ Pauca dicam, ſed numero, non pondere. quæq; literas Libe-
„ rij nomine vulgatas à calumniis vindicent, atque adeo Mot-
„ tini exiſtimationem ſartam tectam conſervent. Mottinum
„ Germanum Quirini nepotem haud difficulter fatebitur
quiſ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
504 B 174

quiſquis iuxta me ſciet, nec patrem huic certum fuiſſe, & «
Lupam matrem. Quid vero Orſaunenſis, ſive, ut modò vo- «
cant, Oſſunenſis Ducis mācipium eum appellatis? omnes pa- «
ri ratione naſcimur, & nunquā peius nobis cum agitur quàm «
cum incipit contra nos ſtare parentum nobilitas, claram- «
que facem præferre pudendis. Quid genus quærimus? non «
ne videtis, ſemi Hiſpanos ſemique Mauros ſed totos, ut mo- «
do vocant, Marranos homines, pluribus conductis nomi- «
nibus, agnominibus, cognominibus prænominibus, gentis, «
generiſque fucatam, fictamque nobilitatem paſſim & vbique «
iactare? Quod Barbaris iſtis concedimus, Italo ruſtico nega- «
bimus? At impietatem præ ſe fert, «
& inanem credit Olympum. «
Non nego; ſed Romanus eſt, Hiſpano ſervit. Quis igi- «
tur ab eo Dei cuiuſlibet cultum exigere poteſt? Nec tamen «
divinitatem quamlibet irridet, ſed ſanctiſſimis illis Deis, & «
adeo coniunctis, ut alter ab altero ſemper pendere ſoleat, «
Ventri, ac Priapo ſemetipſum perpetuò devovit. Agite igi- «
tur, iis tantum, quæ epiſtolæ obiiciuntur, reſpondeamus. «
Glorioſiſſimam, aiunt, Rempublicam Venetam, non modò «
in ordinem redigere, & Comiti Zenghæ parem facere, ſed «
furti palam inſimulare auſus eſt. Turpe facinus fateor P.C. & «
quod furiarum altricibus flammis mulctandum haud ne- «
gem. Attamen quid minaris, Sigoni? Habet Mottinus, «
Habet familiare tergum, ne quærat foris. «
Veniant Eumenides, accedant, feriant, percutiant, lace- «
rent; cognoſcent in Romano patritio Spartanam nobili- «
tatem, faciliuſque virgis atque verberibus ignem quam «
vocem ex hoc homine exprimenti. Sed quid ego verba, «
aut verbera timeo? An neſcitis vere nobilem Mottinum, «
ſed è tribu ruſticâ? Quid ergo mirum ſi ruſticatim tangit «
vrbanatim neſciens? Vnus ergo quia maledicit, male audiet? «
O infelicem, natumque iratis, Dijs, genioque ſiniſtro, ſi quod «

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
504 B 174

» omnibus vſu venit quod cunctis bene vertit, immo verò rem, » & laudem affert, ei tantum hac nocte, tanquam culpa, obijci-» tur? Scribimus docti indoctique paſſim maledicta, neque » regale faſtigium à dentatis iocis & iurgijs eſt immune. Legi-» mus audiuimuſq; contra iuſtiſſimum & ſapieniſſimum Ma-

Sci- » gnæ Britanniæ Regem ineptiſſimorũ hominum, Paraſiti de-

oppii » mum flagioſiſſimi & perditiſſimi veriuſque teterrimi mon-» ſtri quam hominis, innumera maledicta. Viuunt illi tamen, » viuunt, & licet à furijs agitati, æternumque à nobis damnati, » paraſitantur adhuc, ac paginas infami ſcriptione deturpant. » Solus Mottinus exagitabitur, quod ſuiſmet cognominibus, » ſuiſque virtutibus Venetam Rempublicam cohoneſtauerit? » Furem illam vocauit, & furem ipſe profitetur, iudicumque » ſententia eum ſe declaratum oſtendit. quodque vos male-» dictum ingens, laudem ille ſummam exiſtimat. At menda-» cia dixit. Quis abnuit? ſolens ſuo more fecit. Quid verita-» tem? Quid ſcientiam ab eo deſideratis, quaſi

Auctores nouerit omnes,
Tanquam vngues, digitoſque ſuos?

» Ea quidem, vt video, ab illo exigite, quę non magis ſapere po-» teſt quam bene olere, qui in culinâ habitant. Nullus vidit, » nullus legit. Valenzuola

facilem ſtellauit in aurem
Exiguum de naturæ patriæque veneno.

» Hic vero Hiſpañicum illud cum Stygio Cerberi noſtri aco-» nito miſcuit, & atramenti loco, vt epiſtolam ſcriberet, vſus » eſt: neque id ego eo dico, vt hominem excuſare, falſiſve lau-» dibus honeſtare velim. Imò ſeriò profiteor, clamoque

Cor non laudo hominis, nam perfidum, & exitiale
Non laudo os, namque eſt vaniloquum, & fatuum

» Sed illud dico, cuncta imprudentem inſcientemque feciſſe, » nihilque eum vnquam aliud didiciſſe quam nihil ſapere, ma-» lè dicere, & peruerſè agere. Quæ ſi nondum perfectè con-

ſequutus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
504 B 174

ſequutus videtur, magiſtri culpa eſt, qui diſcipulum ſemido-
ctum à ſe dimiſit: ſi vero didicit, quid hoc illi, tamquam cul-
pa, obijcitur? Et Mottinus, eſt quaſi Mare quoddam, Ocea-
nuſque malorum omnium, *& flumina, fontes, mariaq; cuncta
aquis ſuis implere facile poſſit, nec ipſe deficiat.* Adhuc loque-
batur Menippus, cum Mottinus ipſe, in cuius capite hæc fa-
ba cudebatur, *non meritum ſe eius modi patronum*, ait, *nolleque
talem defenſionem, quæ potius accuſatio videretur adhiberi, ſed
Rhadamanti ſpectatiſſimi Iudicis, Senatorumque qui ius habe-
rent ſuffragij, benignitati, capitis cauſam, ſeque met ipſum com-
mittere.* Audierat quæcumque dixerant obſtinato ſilentio,
trucique vultu, bipedum ille ſeueriſſimus Rhadamantus,
ſemper minax & rigidus, quaſique Craſſus alter ἀγέλαστος:
tunc vero Conſules, qui proximi erant, *intuitus ſententias,*
ait *per Satyram exquirite:* Cognoui ego etiam apud inferos
minores obtemperare maioribus. Nam Conſules illico Pa-
tres interrogarunt, qui damnatâ epiſtolâ, non vna quidem
ſententia, ſed pari conſenſu, Mottinum etiam damnabant.
Corneliam Legem de falſis in medium afferebant Iuriscon-
ſulti, vt noxio ſanguine Venetorum iniuriæ parentaret. Alij
dicebant, haud æquum eſſe nobilem illum vereque Roma-
num ſanguinem profundi; ſed cum ipſe patritium ſe Roma-
num feciſſet, neq; Mottina gens ſatis clara haberetur, ęquum
videri, vt à carnifice in Torquatam, vel à coruis in Corui-
nam adſcriberetur. Nonnulli cum ille ſemper vel ſcelera
vel res nihili egiſſet, nunc etiam æquum cenſebāt, vt rem ni-
hili, animā ſcilicet, ageret. Sed cum omnia præpoſtere, vt faſ-
ſus erat, agere ſolitus eſſet, poſtremum etiam hoc opus præ-
poſterè exigendum, vt ex inferno ore, quo ſcilicet vt Clau-
dius olim, clarius loqui ſoleret, animam emitteret. Erant qui
eum quaſi incudem à tribus validis hominibus cædi vellent.
Pedarijque Patres in varias ſententias diſceſſum parabant:
Cum Menippus: *Vita huic*, inquit, *Heroi, me Iudice, relinqua-
tur.*

„ *tur. Quis enim perijſſe cognoſcat, quem nunquam vixiſſe homi-*
„ *nes ſciunt? Pœnas luat, ſed ſuperſit ſibi, & abeat vbi lapis lapidem*
„ *terit, apud fuſtitudinas ferri crepinas Inſulas*

Vbi viuos homines mortui incurſant boues

Tum quidam non admodum ſenex ſenator, quique ima ſub-
» ſellia apud nos occupabat, Italus, vt videbatur. *Dicam*, ait, *ego*
» *ſententiam quæ omnium conſenſu probabitur, etiam ſi Staienus,*
» *vel Gutta ſederent ad iudicium. Cum Mottinus Venetam Rem-*
» *publicam traducere voluerit, traducatur ipſe, recenſque delictum*
» *recenti genere plectatur. Sedeat coronatus ſed auerſus, bellua ſu-*
» *per belluam in aſello thiarâ redimitus, caudamque habenarum*
» *loco pertractet. Præcedant præcones, qui viri laudes, vt moris eſt*
» *decantent, concurrantque vndique populi, & quæ tanto trium-*
» *pho digna videbuntur, iaciant; ea tamen lege, vt poſtquam*
» *pompa deſierit, aſino vel caballo qui triumphantem deducet, de-*
» *beat virtutis atque grati animi ergo Mottinus ipſe in priſtinum*
» *ſuccedere; ibique deinceps, prout Menippus voluit, in molarum*
» *ambagibus vitam degere.* Plauſum cuncti dederunt, vulga-
tumque illud in aſſenſu, OMNES, OMNES acclamarunt. Rhadamantus etiam adſenſum præbuit, & Senatus conſultum probauit, & ſubſcripſit. Lætus Menippus excurrebat, lictoremque miſerat, qui ex infernali piſtrino caballum duceret ex ijs, qui machinali ſaxa voluunt pondere. Mottinus vero flens, ſanctiſſimè adiurabat, Priapumque & ventrem, Deos ſuos teſtes laudabat, nolle ſe dicta, quæ in Venetam Rempublicam conuicia, atq; mendacia dixiſſet. Cum caballum adeſſe lictor clamauit, Stygiaſque vmbras vniuerſas à Plutone vacationem à pœnijs impetraſſe, vt egregiæ pompæ intereſſe poſſent. Iudicium itaque indictum, curſuque facto omnes ante curiam adſtare. Conſules igitur aliorum librorum cenſura in craſtinum prorogata, ſolemnibus verbis, Nihil moramur vos P. C. concilium dimiſerunt. Rapuerunt illico Mottinum ſublimem lictores validi quatuor. Cui Menippus.

I. bone

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
504 B 174

I. bone, quo tua te virtus ⁊ vocat, i pede fauſto
Caballus paratus erat ſuccuſſator, lentus, tripes, terga verberibus ruptus, ei patricium illum Romanum impoſuerunt, ea tamen ratione, vt quæ caballus poſt ſe videre non poſſet, intueretur ipſe, aſinique Mottini, & caballi auerſi vultus, belluati cuiuſdam bifrontis Iani ſpeciem præberent. Infula cinctus erat, caudamque habenarum vice geſtabat. Circumſtabant tot millia hominum ſequentia, præcedentia, circumfuſa, vt rationem ſubducere nullo modo poſſem, Sic
denſi vndique circum
Stabant, & ſtudio ingenti, & clamore ſecundo Solemnes pompas celebrabant. Quorum alij indicem in ciconiam incuruabant, alij pollice temporibus appoſito manus, quaſi aſelli auriculas mouebant; linguam nonnulli, quaſi ſitientes canes, proijciebant. Non deerant, qui pollicem, inter indicem & medium poſitum, manuq; contracta in Mottinum oculos intenderent. Alij vero palmam ipſam apertæ manus oſtentabant. vt Logicam illos, hos verò Rethoricam Zenonis inſtar, oſtendere crederes. Iam verò cœperant lictores Mottinum non leuiter, neq; perfunctoriè verberare. Præco verò qui præcedebat, carmina, (nam Poëta erat haud pœnitendus,) inter ambulandum fundebat ex tempore ineptiſſima.

Mottinus iſte, quem videtis incolæ
Sacram reuinctus, qua decebat, infula
Frontem, peruſtus terga flagris aſpera,
Lictoris impotentis ad faſtidium,
Princeps fatetur eſſe quicquid omnium
Et helluonum turpiter ſcurrantium,
Et harpagonum maximè impudentium
Vſquam celebre prædicatur gentium,
Solers aduncis vnguibus conuerrere
Non pauca, cum valde alget, aut exilia,
Opima ſed centena ſpolia, & ſplendida;

Nam

Nam cuncta priſcæ iura conſuetudinis
Tenet, colitque ſi quis vnquam nauiter,
Exiſtimantis cuncta Amicis obuia
Et eſſe in vſus quoſlibet communia:
Sed, quæ benigni eſt pectoris vis propria,
Omnes amicos ducit, & nullum eximit
Albo ſuorum, ater fuat, vel candidus.
Namque inquinatum, ac ſordidum prorſus nihil
Putat, cauendum iure quod ſit integris.
Periura mens nil horret: immò perfidè
Ridet timentem, plus vt æquo ſimplicem,
Vindex olympo adeſſe Numen ſontibus.
Haud infacetus hinc peregit, omnia
Sibi licere, quæ cupido ſuggerit
Impunè perpetrare, dum pecuniæ
Spes vlla egenti ſubſit, aut ſaltem cibi.
Hinc nuper auro illectus, & cupedijs
Quæ callidè parabat olli Neapolis,
Aggreſſus eſt immanibus mendacijs
Auſuque non ferendo, eam Rempublicam,
Qua ſtante nomen Italum ſtat, & vſque adhuc
Viget, vegetque priſca libertas patrum,
Hanc immerentem ſumpſit iſte liuidus
Fruſtra theonino obterendam gutture.
Et quod retentum noſtra ad uſque tempora
Per ſeculorum, tot perennes ambitus,
In Hadriana ius ſupremum cærula,
Minatur, atque ſpondet, idem tollere
Suoque defferre alteri ex arbitrio.
Vnde arrogantis, impijque ſpiritus
Damnatus, atque falſi ineptè conditi,
Latis per equos Iudices ſententijs,
Ouans per hoc inane circumducitur

Hae

Hac in thiara, huic inſidens equo probè.
Io Triumphe; vobis ecce, cernite
Illuſtre numen atque auitum Romulæ
Gentis, quod allium, cepaſque olet, genus,
Io Triumphe, quid moramini ampliùs?
Dum pompa ſic procedit, eia tollite
Manus, & hinc, & illinc nunquam parcite,
Os impudens laceſſere ictu miſſilis
Quod cuique caſus, prouida aut mens obtulit.

His dictis, omnes Ciues, Populares, Incolæ, Accolæ Aduenæ qui aſtabant

teſtaque, lutoque,

& miſſilium omnium iaculatione pompam celebrabant. Cum verò ad piſtrinum perueniſſent, & pro caballo Mottinus, qui molas deinceps circumducere deberet ouans ingrederetur, cupiens ego quid ijs in locis molerent, cognoſcere, atque vt videre poſſem properanter currens, repentè offendens cecidi, ſerioque timens ne in ſaxa impingerem, totus contremui. Sed ſtratus memet adhuc in lecto, vbi Aretius reliquerat, atque ab inferis locis, vnde regredi neminem aiunt, mira pernicitate reuerſum reperi.

FINIS.

Mottini Genius operis præfuit: quare errata quæ occurrent (& occurrent forte pluſcula) tu Lector corrige.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
504 B 174

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
504 B 174

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
504 B 174